



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Quæstio II. Utrum jam in prioribus Eccelsia Seculis data fuerit remissio
pœnæ post culpam deletam residuæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

tant. BELLARMINUS verò ait, posse aliquos fieri reos pœnitentiæ agendæ secundum Canones per spatium aliquot millium annorum: quod si enim pro peccatis gravibus singulis secundum Canones debetur pœnitentiæ trium vel septem annorum; quis enumeret annos pœnitentiæ debitæ illis, qui iniquitates velut aquam hauriunt? atque huc ait respexisse Summos Pontifices, siqui sunt, qui re vera indulgentias dederint decem, vel viginti millium annorum. Neque in se impossibilis est huiusmodi pœnitentiæ, quia temporis diuturnitas vehementiâ charitatis, & extensione pœnitentiæ compensari potest. Rursus Indulgentiæ conceduntur *in vita*, vel *in mortis articulo*, quæ postremæ (nisi literæ Pontificiæ aliud exprimant) etiam obtinentur in articulo mortis præsumpto, quamvis re ipsa mors non sequatur.

QUAESTIO II.

Utrum jam in prioribus Ecclesiæ Seculis data fuerit remissio pœnæ post culpam deletam residuæ?

200. **I**am Apostolorum tempore concessam fuisse veram Indulgentiam, manifestum fit ex verbis S. Pauli 2. ad Cor. 2. *Cui autem aliquid donastis, & ego; nam ego quod donavi, siquid donavi propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur à Satana.* Rogaverant nempe Corinthii Apostolum, ut incestuoso excommunicato, & seriâ pœnitentiâ agenti ignosceret, & condonaret, quod reliquum erat pœnitentiæ agendæ. Annuit S. PAULUS, jussitque, ut pœnitenti nomine suo indul-

indulgerent. Nec sanè hic quidquam defuit eorum, quæ ad justam veramque Indulgentiam pertinent, quæ sunt autoritas in concedente, causæ pietas, & status gratiæ in suscipiente. Autoritatè à Christo acceptâ se indulgere testatur Apostolus, idque propter ipsos, *h. e.* propter communem ipsorum utilitatem, ut non detur locus insidiis diaboli, ob nimiam Prælati severitatem. Denique Corinthius pœnitentiæ subjectus tantum de peccato suo dolorem conceperat, ut periculum esset, ne nimia tristiâ absorberetur. Similes pœnarum temporalium remissiones an post Apostolicâ temporâ in Ecclesia semper locum habuerint, nunc quæritur.

MABILLONTUS de Indulgentiis ita differit: "In-201.
 dulgentiarum triplex quasi gradus considerari potest: Opi-
 unius tempore Apostolorum, qualis fuit relaxatio nio
 ab excommunicatione incestuoso illi Corinthio in- Ma-
 flicta per Apostolum. Secundus tempore Marty- billa.
 rum, cum ad eorum preces publica quibusdam pœ- nū.
 nitentia remittebatur: tertius sub defectum pœni-
 tentiæ publicæ, quæ Sec. IX. non parum minui
 cœpit. Ab eo tempore datæ sunt ad remissionem
 pœnæ peccatis impositæ aut debitæ, quædam In-
 dulgentiæ, aliæ aliis ampliores. Vigebat tamen per
 ea tempora pœnitentiæ publicæ usus: sed eâ redimi
 vel Missis aliisque suffragiis, vel elemosynis, vel
 sacris peregrinationibus, aut piis operibus poterat.
 Et quamvis ista pœnitentiæ redemptio non omni-
 bus Episcopis probaretur, ut constat ex *Cap. 26.*
Concilli Cloveshovienfis anno 747, ubi Patres
 istam redemptionem vocant *novam adinventionem,*
periculosam consuetudinem; prævaluit tamen paul-
 latim ejusmodi redemptio pœnitentiæ: immo com-
 pendio-

pendiosior subinde visa est Indulgentiarum via. Illæ mortuis primùm concessæ videntur. Nam JOANNES VIII. Papa (ep. 50.) Indulgentiam his, qui in bello contra Paganos anno 878. occubuerant, vel in futurum occumberent, concessit; eandemque gratiam à Joanne IX. petierunt Bojarix Episcopi pro Arnulpho Imperatore mortuo, cujus animam ipsius autoritatis potestate absolvi petierunt.

202. *In prioribus Ecclesiæ Seculis jam data fuit remissio pœnæ post culpam deletam residua. Et quidem*
 Indulgentia 10. remissa fuit pœna post absolutionem sacramentalem residua: certum enim est eos, qui in persecutione lapsi fuerant, ad Martyrum intercessionem fuisse reconciliatos, sive orationibus & communi Fidehū restitutos, ut patet ex epistola Cleri Lugdunensis in Seculo II. apud Euseb. l. 5. Hist. eccles. c. 1. ubi de Martyribus Lugdunensibus Clerus ita scribit: *Tunc verò (hi Martyres) omnium defensionem suscipiebant, neminem (lapsum) accusabant; cunctos absoluebant, neminem ligabant. . . Neque enim fastu & arrogantia intumuerunt adversus lapsos, sed ea, quibus abundabant, bonæ indigentibus liberaliter ministrabant . . . Cumque pacem dilexissent, pacem nobis commendassent, ipsi cum pace migraverunt ad Dominum, non dolorem Matri, non fratribus dissidium ac bellum, sed gaudium, & pacem, & concordiam, Charitatemque omnibus relinquentes. Hi igitur lapsi, quibus Martyres sua bona ministraverant, quosque ad Clerum pro obtinenda absolutione, ac condonatione autoritativa pœnæ (ut colligitur ex verbis: *cum pacem nobis commendassent*) remis-*
 rant,

rant, duplicem absolutionem consequantur, sacramentalem videlicet, & indulgentialem, alioquin publicis pœnitentiæ legibus subijciendi. In Sec. III. S. DIONYSIUS *Alexandrin* in epistola, qua describit Martyrium suorum Alexandrinorum, apud *Euseb.* L. 6. Hist. eccles. c. 41. & 42. ita habet: *Ceterum hi divini Martyres; qui nunc Assessores sunt Christi, & regni illius consortes, dum hæc apud nos essent, quosdam è fratribus lapsos, & idolis sacrificasse convictos susceperunt, & conversionem illorum ac pœnitentiam cernentes, cum judicassent eam placere posse illi, qui peccatoris pœnitentiam mavult quam mortem, eos admiserunt, & collegunt, atque in cœlum suum receperunt, & in orationibus & cibo cum iisdem communicarunt.* Ubi quia lapsi sacrificasse convicti dicuntur, sequitur jam ante comparuisse eos coram Superiore Ecclesiastico, cum ad nullum alium pertinuerit eos convincere, & ideoque tales pœnitentes jam prius receptos fuisse ad pœnitentiam à Sacerdote, & tunc primùm, cum eorum pœnitentia inventa est ejusmodi, ut Deo placere posset, à Martyribus fuisse receptos. Id quod disertis verbis significat *LUCIANUS* in epistola responsoria (quæ inter epp. *D. Cypriani* est 22.) ad literas *Celerini* Confessoris supplicantis pacem pro *Numeria* & *Candida* lapsis. *Accepi literas tuas (scribit LUCIANUS) frater dilectissime . . . Cum benedictus Martyr Paulus adhuc in corpore esset, vocavit me, & dixit mihi: Luciane, coram Christo tibi dico, ut si quis post mortem meam abs te pacem petierit, des in nomine meo . . . Ideo saluta Numeriam & Candidam, & peto, ut cum*

662 DE INDULGENTIIS.

Dominus cœperit Ecclesiæ pacem dare, secundum præceptum Pauli, & nostrum tractatum, expositâ causâ apud Episcopum, & factâ exhomologes habeant pacem; h. e. remissionem pœnæ alioquin luendæ etiam post absolutionem sacramentalem. Id quod rursus colligitur ex ep. 30. S. Cypriani ad Clerum Romanum: *Ad vos literas feci de quorundam temeritate, qui Deo satisfacere detrectant, pacem non dandam sibi postulant, sed quasi jam datam sibi vindicantes, quod dicant Paulum omnibus pacem dedisse.* Querebatur nempe S. CYPRIANUS, ut patet ex ejus ep. 23. quod LUCIANUS Confessor literas pacis absque discrimine multis daret Pauli Martyris nomine, quin singulorum lapsorum causæ ab Episcopo prius cognoscerentur. Quæ facilitas in remittendis pœnis ne in detrimentum animarum vergeret, lapsi in persecutione Decii anno 250, rigorosæ pœnitentiæ subjecti sunt. Cum tamen nova suscitata esset persecutio imperante Gallio an. 252. S. CYPRIANUS timens, ne tales pœnitentes in desperationem adducerentur, nisi admitterentur ad communionem & pacem, omnibus plenariam tribuit veniam & Indulgentiam, ut patet ex illius ep. 54. ad Cornetium Papam. Hanc autem pacem & communionem quis credat absque sacerdotali absolutione concessam fuisse? certè longè durius fuisset absque ista absolutione, quam post illam obtentam pœnitentiis canonicis obnoxium vivere, ideoque propter illius negationem lapsi faciliùs desperassent faviente nova persecutione. 2^o. Relaxationem pœnæ canonicæ ab Episcopo ad Martyrum intercessionem factam in foro etiam interno, & coram Deo valere, in primis Ecclesiæ Secu-

lis,

lis, tam Episcopis, quàm cæteris Fidelibus persuasissimum semper fuit. Testis est TERTULLIANUS in L. de pudicitia, in quo licet jam hæreticus fatetur hanc Fidelium persuasionem fuisse, cum morem illum reconciliandi lapsos reprehendens dicit: *Sufficiat Martyri propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est, in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus.* Et infra Martyrem sic alloquitur: *Si peccator es, quomodo oleum facula tua sufficere & tibi, & mihi poterit?* Testis quoque est S. CYPRIANUS ep. 12. scribens: *Occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos à Martyribus acceperunt, & prerogativâ eorum apud Deum juvari possunt, si incommodo aliquo, aut infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectatâ præsentia nostrâ, apud Presbyterum quemcumque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cæperit, apud Diaconum exomologesin quoque facere delicti sui possint, ut manu eis in pœnitentiam impositâ veniant ad Dominum cum pace, quam Martyres desideraverunt.* Ubi S. Martyr expressè fatetur, intercessionem Martyrum, quas datis libellis ad Episcopos pro lapsis faciebant, valere apud Deum, ut in casu necessitatis etiam à Diacono ab excommunicatione & pœnis satisfactoriis absoluti pacem apud Dominum consequerentur, h. e. veniam & Indulgentiam pœnæ peccatis debitæ. Clerus Romanus in ep. 30. ad D. Cyprianum testatur, totum populum Carthaginensem credidisse, per libellos Martyrum se jam obtinuisse pacem in cœlis, & solùm reprehendit, quòd hoc sperare præsumperit sine ministerio Sacerdotum; igitur accedente

964 DE INDULGENTIIS.

hoc ministerio credidit valere relaxationes pœnæ canonice coram Deo. Et certè nisi ita valuissent, noxiæ fuissent hujusmodi relaxationes Fidelibus lapsis ad Martyrum intercessionem factæ, quia relaxatis pœnis Canonicis servati fuissent suppliciiis longè acerbioribus in Purgatorio. 30. Post illa tempora extant Concilia Ecclesiæ tam particularia, quàm generalia, ex quibus palam fit, Indulgentias fuisse concessas pœnitentibus. Sic Concilium ANCYRANUM anno 308. cap. 5. statuit: *Episcopum autem hanc licentiam habere oportet, ut perspectâ singulorum (pœnitentium) conversatione, normam regulamque conversationis adtribuat, id est, ut humanius agens secundum vitæ modum, tempus alicui pœnitentiæ breviare possit.* Id ipsum postea decrevit NICAENUM Can. II. Et LAODICENUM anno 350. cap. 2. S. GREGORIUM in diebus Stationum populo Indulgentias concessisse testantur GUILIELMUS Antifiod. L. 4. Summæ theol. tract. 6. c. 9. LEONEM PP. in Sec. VIII. easdem largitum fuisse testis est S. LUDGERUS in ep. de S. Swiberto apud Suriam Tom. 2. post vitam S. Swiberti, ita scribens: *Idem S. Leo Papa anno Domini- cæ Incarnationis 802. cum magna solemnitate suorum Cardinalium . . . ad Imperatorem Carolum in Germaniam veniens inter multa pietatis suæ opera, instantiâ ejusdem Serenissimi Imperatoris . . . Aquisgrani in Palatio dedicavit Ecclesiam perpetuæ Virginis Mariæ, donans eandem Ecclesiam multis Indulgentiis.* SERGIUS II. circa annum 844. concessit Indulgentiam trium annorum, & trium quadragenarum visitantibus Ecclesiam S. Martini in montibus in die festo ejusdem Sancti,

Sancti, ut constat ex tabula marmorea, cui literis antiquissimis eadem Indulgentiæ incisæ sunt. Facta posteriorum Pontificum & Conciliorum illustriora sunt, quàm ut in dubium vocari possint. Itaque certum est in prioribus Ecclesiæ seculis datas fuisse remissiones pœnarum sive canonicarum sive non canonicarum: datæ autem sunt relaxationes hujusmodi non in detrimentum, sed in majus commodum & utilitatem animarum; igitur non apud Ecclesiam duntaxat, & in foro externo, sed apud Deum quoque, & in foro interno valuerunt.

Respondetur ad objecta.

Obj. I. Duplex olim à Sacerdotibus administrabatur pœnitentibus publicis manuum impositio, una quidem *deprecatória* ante Offertorium fieri solita, eaque ante singulas collectas iterabatur ante exforam ab Ecclesia dimissionem. Altera *sacramentalis & absolutória*, quæ erat reconciliatio seu communio pacis: atque hæc semel duntaxat indulgebatur pœnitentibus, & tunc pœnitentiæ publicæ legibus solvebantur, nisi anticipanda esset ob vitæ discrimen superveniens, hæc tamen lege, ut si convalesceret reus, interruptam pœnitentiam prosequeretur ad tempus vel Canone, vel Episcopi arbitrio præfinitum. Numquam verò reconciliabantur pœnitentes, quin simul sacra eis Dominici Corporis indulgeretur communio, ut testatur S. AMBROSIVS L. 2. de pœnit. c. 3. *Quotiescumque peccata donantur, Corporis ejus Sacramentum sumimus, ut per Sanguinem ejus fiat peccatorum remissio.* Ita CABASSUTIUS de publicis præscorum Christianorum

Tt 5

pœniten-

pœnitentiis. *Resp.* Ab hac regula excipiendi sunt casus, in quibus Episcopi vel ex speciali motivo, vel ad intercessionem Martyrum pœnitentias relaxarunt, ut manifestum fit ex dictis. Cl. AMORT in Dissert. prælimin. Apolog. pro Indulgentiis. §. 2. multis contendit, Pœnitentes ab initio Quadragesimæ fuisse à Presbyteris absolutos, tum in Cœna Domini ab Episcopis reconciliatos; at perperam: nam 1^o. ait, impositionem manuum fuisse signum absolutionis sacramentalis, illam nempe in capite Quadragesimæ à Presbyteris factam, quod falsum esse videtur, cum ex Cap. II. Concilii *Agathensis* pateat, illis quoque manus fuisse à Presbyteris impositas, qui primùm ad pœnitentiam publicam admittebantur. 2^o. Supponit formulam absolutionis sacramentalis illis temporibus fuisse deprecatoriam, quod probabilissimè falsum est. Id unum attentionem meretur, quod ex Ordine Romano adducit: *Feriâ quartâ in capite Jejunii præmonere debet Sacerdos omnes Christianos, quatenus in capite jejunii ad veram confessionem, veramque pœnitentiam festinantius accedant, & in Cœna Domini redeant ad reconciliationem. Si vero interest causa aut itineris, aut cujuslibet occupationis, reconciliet eum statim. Sicut autem Sacrificium offerre non debent nisi soli Episcopi, aut Presbyteri, quibus claves regni cœlestis traditæ sunt; sic nec iudicia ista alius usurpare debet. Si autem necessitas evenerit, & Presbyter non fuerit præsens, Diaconus suscipiat pœnitentem, ac det sanctam communionem.*

Obj. II. Quæcumque supra memoratæ sunt remissiones, non fuerunt nisi relaxationes pœnarum
canoni-

canonicarum; igitur hujusmodi Indulgentiæ solum liberabant homines à reatu pœnæ coram Ecclesia, non autem coram Deo. *Resp.* Pœnitentiæ illæ canonicæ sicut debitæ erant, sic etiam satisfactoriæ pro peccatis, quia eum in finem imponebantur, ut homo lapsus Deo satisfaceret, sicque dignum venia & absolutione sese exhiberet. Has igitur ubi Ecclesia relaxavit, re ipsa remisit pœnas coram Deo, & quia per Indulgentias non perditum ibat animas, sed illis consultum, idcirco credidit, istas remissiones coram Deo quoque valere. Id quod clarè intelligitur ex testimoniis S. *Cypriani* & *Tertulliani*. Nostra autem ætate quòd Sancta Mater Ecclesia prorsus maternæ pietatis viscera exhibeat gravissimis etiam peccatoribus, ne mireris: quid enim expectet à dissoluta sobole, in qua charitas propè extincta est? arundinem sustentat, ne penitus fracta igni tradatur sen-piterno. Sed & largiores Indulgentiarum thesauros aperit, ut emere absque auro & argento Christiani Fideles possint,

Obj. III. Episcopi solebant Indulgentiam dare, vel ut Martyres honorarent, eosque ad Martyrium consummandum accenderent, vel etiam quia credebant Martyrum intercessionibus id à Deo impetraturos, ut lapsi facilius delictorum suorum veniam consequerentur. *Resp.* Utrumque falsum esse patet manifestè ex testimonio *Tertulliani*, qui postquam L. de pudicit Romanam Ecclesiam reprehenderat, quòd Mœchis tribueret veniam, c. 22. ita loquitur: *At tu jam & in Martyres tuos effundis hanc potestatem: Quis permittit homini donare, quæ Deo reservanda sunt? . . . Sufficiat Martyri propria delicta purgasse: ingrati vel super-*

bi est, in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem solvit; nisi solus Filius Dei? proinde qui illum imitans donando delicta, si nil ipse deliquisti, plane patere pro me; si verò peccator es, quomodo oleum faculae tuae sufficere tibi & mihi poterit? ex quibus duo hæc colligere licet, videlicet pœnas peccatis debitas ad intercessionem Martyrum relaxatas fuisse, & has ipsas Martyrum intercessionem vim satisfactionis habuisse, & coram Deo valuisse.

æ) Quod S THOMAS scribit de S Gregorio Papa, cum in diebus Stationum Indulgentias populo largitum esse, Critici non pauci negant, eo quod ANASTASIUS, qui D. Gregorium Autorem Stationum commemorat, de Indulgentiis omnino taceat, ceteroquin in perscribendis Pontificum factis solertissimus. Nec quidquam probari videtur ex epistola S. Ludgeri, quæ uti Swibertina vita à Bollandianis rejicitur. Ad tabulam marmoream quod attinet, cui incisa leguntur Indulgentiæ à Sergio II concessæ, neque illa sufficienter probat, nam tabula sic habet: Temporibus Domini Sergii Junioris Papa reconata sunt in hoc sacro altari corpora B. Silvestri Fabiani, Stephani, & Soteris, Siriniani, Anastasi, Innocentii, Cyriaci, Largi, Smaragdi, Papie, Mauri, &c. Sunt autem hæc Sanctorum Corpora translata de Cœmeterio Priscillæ viâ Salaria. Et dictus Pontifex concessit singulis ad hanc Ecclesiam venientibus in festivitibus istorum Sanctorum tres annos & tres quadragenas de vera Indulgentia. Jam verò Anastasius sic habet: B. Papa Ecclesiam perfecit, & S. Silvestri corpus cum Fabiano, & Stephano, & Sotere, Cyriaco, Mauro, Largo, Smaragdo, Anastasio, Innocentio, &c. sub sacro altari dedicans consecrauit. Dumque lapis habet, ista Sanctorum corpora translata fuisse de Cœmeterio Priscillæ viâ Salaria, ANASTASIUS scribit, corpora ss. Fabiani, Stephani, & Soteris viâ Appia in Cœmeterio Callisti sepulta fuisse. Præterea quod Ss. Cyriaci, Largi, & Smaragdi corpora viâ Salaria sepulta

S MAR-

DE INDULGENTIIS. 669

S. MARCELLUS Papa in pradium *Lucinae* via ostiensi transtulerit die 3. *Aug.* testatur hodieum Martyrologium Romanam. *Papias & Maurus* via Nomentana in cœmeterio ad Nymphas primum conditi sunt, ut habet **BOLLANDUS** die 29. *Jan.* Proinde pars ultima istius marmoreæ inscriptionis de Indulgentiis in dubium merito vocatur. Certiora sunt monumenta, quæ testantur Indulgentiarum concessionem factam à *Benedicto IX* anno 1040. ab *Urduino II.* anno 1098. à *Callixto II* anno 1120. & deinceps. *Vid. MABILLONIUS* de Indulgentiis.

β) Inter multos *Lutheri* articulos à **LEONE X.** damnatos hic quoque legitur: *Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debita apud justitiam divinam.*

QUAESTIO III.

Qui concedere Indulgentias possint?

Indulgentiam propriè esse absolutionem judicariam, quæ adnexam habet solutionem ex thesauro satisfactionum Christi & Sanctorum, sat communis est **TT.** sententia. Et quidem esse absolutionem judicariam colligitur ex *Matth. 16. Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Et c. 18. *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis:* quibus verbis procul dubio significatur judicaria potestas absolvendi. Unde **ALEXANDER III.** in ep. ad Episcopum Cantuariensem, quæ refertur *cap. 4. de pœnit. & remiss.* docet, neminem posse concedere Indulgentias nisi propriis subditis. **MARTINUS V.** in fine Concilii *Constantiensis* plenariam Indulgentiam largiens, dicit se plenariam absolutionem concedere: quam ipsam vocem passim adhibet **GREGORIUS VII.** in concessionem Indulgentiarum. Atque hæc ratio est, cur
203.
Indulgentia est absolutio & solutio.